

Norme della Congregazione per l'Educazione Cattolica per il conferimento del Nulla osta della Santa Sede (12 luglio 1988)

Congregatio pro Institutione Catholica

Prot. N. 462/1979

Normae ad declarationem „Nihil obstat Sanctae Sedis“ obtinendam, de quo in art. 27 , 2 Apostolicae Constitutionis Sapiencia christiana

Uti constat, iuxta praescriptum art. 27, 2 Apostolicae Constitutionis “Sapiencia Christiana” docentes omnes, antequam muneris stabilis collationem accipiant vel antequam ad supremum ordinem didacticum promoveantur, vel in utroque casu, prout in Statutis definiatur, declaratione “Nihil obstat” Sanctae Sedis indigent.

In art. 19 “Ordinationum” eidem Constitutioni adnexarum affirmatur “Nihil obstat” Sanctae Sedis esse declarationem nullum officere impedimentum, ad normam Constitutionis atque peculiarium Statutorum, nominationi alicuius docentis propositae. Proinde declaratio “Nihil obstat” postulat expletionem omnium condicionum quae ab eadem Constitutione statuuntur ut aliquis docens munus suum rite adimplere valeat. Quas inter condiciones adnumerandum quoque est testimonium de docentis recta doctrina catholica, bonis moribus probataque disciplina ecclesiastica. Hoc sub aspectu declaratio “Nihil obstat” habenda est tamquam quoddam instrumentum respiciens ipsum finem ecclesiam ab Universitate vel Facultate attingendum. Cui fini consequendo Ecclesia universalis et Ecclesia particularis suam concordem operam praestare tenentur.

Quo aptius haec communis opera favori possit, atque expeditius declaratio “Nihil obstat” concedi queat, Congregatio pro Institutione Catholica has statuit normas.

1. Ut ad effectum deducantur praescriptiones artt. 11, §1, 26 et 28 Apostolicae Constitutionis “Sapiencia Christiana”, Consilii Facultatis quoque erit, per se vel per peculiarem Commissionem, de docentis eligendi vel promovendi proba vita rectaque doctrina iudicium proferre. Quod iudicium ad Magnum Cancellarium (vel Ordinarium loci) scripto mittendum est.

2. Magnus Cancellarius (vel Ordinarius loci), cui praeprimis spectat Facultatis vel Universitatis catholicam doctrinam, bonos mores ecclesiasticamque

disciplinam tueri et fovere, iudicium Facultatis accurate perpendet, rei peritis, si casus fuerit, consultis.

3. Magnus Cancellarius (vel Ordinarius loci), postquam certitudinem assecutus fuerit nullum adesse impedimentum ad “Nihil obstat” obtinendum, petitionem per Legatum Apostolicum Congregationi pro Institutione Catholica transmittet, adiunctis iudicio Consilii Facultatis et proprio necnon curriculo vitae et scientificorum operum docentis, publici iuris factorum, elencho.

4. Congregatio pro Institutione Catholica, omnibus perpensis iudiciis sibi transmissis et auditis Congregatione pro Doctrina Fidei ceterisque Dicasteriis Apostolicae Sedis quorum interest, responsum suum quam primum dabit. Si tamen quidam casus peculiare exigat examen, eadem Congregatio de mora existenti Magnum Cancellarium (vel Ordinarium loci) certiolem faciet.

Romae, die XII m. Iulii a.D. MCMLXXXVIII